



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 14. Historia de oraculo Peleo redditum est. Xenophontis locus correctus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

*Nunc argumentum vobis demensum dabo,
Non modio, neque trimodio, verum ipso horreo.*

Tanta ad narrandum argumentum est benignitas.

Tanta enim legi debet: non, ut in illius libris, tantum. quippe cum hoc dicat, tantam esse sibi benignitatem ac largitatem ad narrandum argumentum, seque ita illius esse *μετριον*, ut daturus sit illud demensum, non modio, neque trimodio, verum ipso horreo. Sed & ex eadem illa, de qua dixi, Sicularum consuetudine, ioco dictum est in eadem fabula, Epidamni nomen iunctum esse ex *ἐπι*, & *δαννον*: quia illuc nemo ferè, nisi damno suo, diuertere soleret. quod omen fugiens populus R. antiquum oppido restituit Dyrrachij nomen. Hæc à me ante hos quindecim annos edita, nuper Cælius quidam pro nouis ac suis venditauit.

*Historia de oraculo quod Pelco redditum est. Xenophontis
locus correctus. CAP. XIII.*

QUI crebrò Veneri operantur, eorum genitalem humorem liquidiorum, iccircoq. minus aptum ad generandum effici constat. quare inter ea quæ præcipi solent iis qui liberos procreare cupiunt, id quoque est, ut congressu Venereo non ita frequenter utantur. atque is erat sensus oraculi quod Ægeio quondam redditum traditur. qui cum petiisset à deo indicari sibi rationem aliquam, qua pater fieri posset; multos enim iam annos frustra vxoris hortum conseruerat: responsum hoc tulit:

Ne soluas ex vtre pedem qui prominet, ante

Cecropiæ pingues quàm sis delatus in agros.

ita enim putavi hos versus reddi utcunque posse:

Τὸν πρόσχοντ' ἀσκέει ποδῶν ὃ φίλτατε λαῶν

Μὴ λύσαι, πρὶν γυγὼν Ἀθηνῶν ἀφιέσθαι.

Vtrem

Vtrem vocabat deus ventrem ipsius *Aegi*: ex quo qui promineret *ποδῶν*, nihil vlllo opus est *Oedipo* ad intelligendum. illo igitur verborum circuitu precipiebat, vt se vxori castum & integellum seruaret, afferretque ad eam graues & plenos probatæ pecuniæ loculos. Illud quoque cognitum est & ratione & experientia, si quid gignatur ab iis qui se nimis sæpè in illa palæstra exercent, infirmum id atque imbecillum esse: cùm contrà qui parcè ac bono modo id faciunt, robustiores plerumque ac solidiores filios edolent. Quàm ob causam *Lycurgus* instituerat, vt noui mariti & rarè & furtim congrederentur cum vxoribus: hac ratione iudicans fore, vt & ardentius se mutuò desiderarent, & vegetiores liberos producerent. *Xenophōtis* verba, quibus hoc de *Lycurgo* exponit, hæc sunt: *ἔθικε γὰρ αἰδέειν μὲν εἰσόντα, αἰδέειν δὲ ἐξίοντα. ἔτι δὲ σωήτων, πεινοτέρους μὲν ἀνάγκη σφῶν αὐτῶν ἔχειν, ἔρρωμένους δὲ γίγνεται, εἴτι βλάσαιεν, ἔτι μάλλον, ἢ εἰ διάφοροι ἀλλήλων εἴεν.* Recitavi autem illa, vt legi debere censeo, non vt vulgo leguntur. in omnibus enim, quos ego quidem viderim, libris, pro *βλάσαιεν*, legitur *βλάπτουεν*. qui primo aspectu pusillus error quas *Francisco Philelpho* tenebras offuderit, scient, qui interpretationem illius inspexerint. quin autem verbum *βλαστάνειν*, ab iis quæ oriuntur è terra, elegantissimè ad homines transferri potuerit, dubitaturum existimo neminem.

Xenophontis alius locus correctus.

CAPVT XV.

MVLTA deprauata sunt in *Xenophontis* libris: plura malè intellecta ab iis qui eos in Latinum sermonem conuertere studuerunt: quale est quod modo protulimus: itidemque, quod nunc prolaturi sumus. sed hoc